

quibus uti singuli versantur (1), sive ad concionandum, matrimonio assistendum, sive ad alias functiones peragendas (2); nisi in alia ecclesia idem adsit privilegium (3), vel nisi canonici ecclesiae cathedralis Episcopum comitentur (4).

Et si « gaudeant indulto deferendi cappam, et rocchettum tam in » propria, quam in alienis ecclesiis; hujusmodi tamen, aliorumque » canonicalium insignium usum extra propriam ecclesiam licitum » esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et » peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, » nisi speciale privilegium. nedum collegium comprehendat. verum » etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur » S. R. C. declaravit, decrevit, et servari mandavit (5).

Not. ad capitulariter incedendum, sufficere et requiri tres canonicos, sub cruce capituli incedentes (6).

Notandum autem hic est rescriptum S. R. C. (7): « Ab instauratione ecclesiarum et capitulorum in Galliis initio hujus sæculi » canonici sive titulares sive honorarii, qui pro habitu canonicali » rocchettum et mozzettam deferunt, his utuntur non solum in » ecclesia cathedrali, vel quando capitulariter incedunt, aut Episcopo sacram aliquam functionem peragenti assistunt, sed etiam » passim in diœcesi, quando ad aliquam ecclesiam sive ad concionandum sive ad alicui cæremoniæ interessendum se conferunt. » Et hæc agendi ratio in omnibus aliis Galliarum diœcesibus » pariter tenetur, ita ut certo dici possit, consuetudinem hanc » generalem esse in Galliis et longo annorum decursu comprobatur varia Sacræ Congregationis Rituum decreta; quum vero ex » altera parte ipsa hæc consuetudo destrui non posset absque » admiratione in populo et molestia pro canonicis, qui a tanto » tempore habitum canonicalem ubique in diœcesi deferunt, orator a S. C. humillime exquisivit: Utrum illam tolerare valeat,

(1) S. R. C. 12 Sept. 1716, *Policastren.*

(2) S. R. C. 10 Sept. 1650, *dubium*; 31 Maji 1817, *dubiorum addit.* 2; 12 Nov. 1831, *Marsorum* 26; 23 Maji 1846, *Viterbien*; 16 Mart. 1861, *S. Jacobi de Chile* 12; 9 Jul. 1864, *Liburnen.*

(3) S. R. C. 7 Ap. 1832, *Maceraten.*

(4) S. R. C. 19 Jan. 1743, *Aliphana* 5.

(5) 31 Maji 1817, *dec. gen.* et 9 Jul. 1864, *Liburnen.*

(6) S. R. C. 23 Maji 1639, 28 Ap. 1640 et 17 Jul. 1640, *Vicentina.*

(7) 2 Aug. 1875, *Petracoricen.*

» saltemque quoadusque jussu Sanctæ Sedis in cæteris Galliæ diœcesibus destruat, an vero teneatur hanc consuetudinem in sua » diœcesi evellere? Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione » a secretario facta, rescribere rata est: Nihil esse innovandum. »

De canonicis vero honorariis hæc statuuntur decreto 29 Jan. 1894: « Canonici ad honorem alicujus minoris Basilicæ, vel Ecclesiæ » Collegiatae almæ Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti » possunt tantum intra respectivæ Basilicæ vel Collegiatae, ejusque » Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem » fruuntur. Qui vero alicujus Metropolitanæ vel Cathedralis, aut » Collegiatae Ecclesiæ, seu Basilicæ minoris extra Urbem Canonici » sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in » diœcesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium. » Ut autem sciant quid ipsis liceat in diœcesi ubi nominati sunt, examinent quid ibi membris capituli ex jure, privilegio vel consuetudine sit indultum. De hoc cfr. latius *Nouvelle Revue th.* t. 26, p. 131 et seqq.

IX. Etiamsi pileolus parvus inter indumenta sacra non recenseatur (1) et biretum non sit chorale indumentum (2), cum tamen in ecclesia et choro frequens eorum sit usus, hoc loco de iis opportune agatur.

1. In missæ celebratione nemini caput nec bireto nec pileolo cooperire licet sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, ut declaratur in decreto Urbani VIII missali apposito (3).

2. Similiter coram exposito SS. Sacramento caput nemini cooperire licet (4).

3. In actuali ministerio seu in actu ministrationis aut operationis caput nec bireto nec pileolo cooperitur, sed deposito bireto aut pileolo, detecto semper capite agendum, ministrandum et inseriendum est (5).

Unde presbyter assistens pileolum in capite tenere nequit, cum aspersionem aut incensum Episcopo ministrat, ipsum incensat, vel ei assistit ad missale, ex quo Episcopus legit (6); neque diaconi

(1) Bened. XIV de sac. m. sect. 1, n. 53.

(2) S. R. C. 7 Dec. 1844, *Venustin.*

(3) Vid. S. Lit. Praxis, tom. 1, n. 161.

(4) Cærem. 1, 2, c. 33, n. 33.

(5) S. R. C. 19 Jun. 1604, *Burgen*; 4 Ap. 1699, *Burgi S. Sepulchri* 7; 15 Sept. 1753, *Casaten*, 11; 27 Aug. 1822, *dec. gen.* 18; 14 Jun. 1845, *Oppiden.* 5 et 6.

(6) S. R. C. 10 Jan. 1693, *Nicien.* 1 et 2.

assistantes, dum porrigunt vestimenta sacra, assistunt ad altare, aut dum Episcopus legit introitum, epistolam, etc. (1); neque diaconus et subdiaconus, dum Episcopum induunt, aut missæ inserviunt (2). Dum autem diaconi assistentes apud sedem episcopalem existunt, et non ministrant, caput pileolo cooperire possunt (3); et idem dicendum est de diacono et subdiacono, non quidem, dum ad altare assistunt, sed dum apud scamnum in cornu epistolæ existunt.

Canonici similiter caput pileolo coopertum tenere non possunt in circulis coram Episcopo (4), neque ad intonationem antiphonarum (5), neque in danda aut recipienda incensatione (6), neque in recipienda aspersione aquæ benedictæ (7), neque in cantandis lectionibus, passione, precibus aut orationibus (8), neque in quibusvis similibus functionibus ecclesiasticis, etiamsi alias pileoli usus permittatur, nisi hoc specialiter indultum fuerit (9), ita ut pileolus generaliter deponendus sit, quandocumque aliqua cæremonia est exercenda, chorus vel celebrans salutandus, aliquid a celebrante recipiendum, etc. (10).

4. Qui Apostolico gaudent indulto utendi pileolo, eo tamen uti nequeunt, cum coram Episcopo celebrant, aut coram eo sacras exercent functiones, neque cum Episcopo in altari assistunt (11).

5. In processionibus intra ecclesiam caput pileolo ex universali consuetudine, nemini autem bireto cooperire licet (12), exceptis celebrante aliisque paratis, qui caput bireto cooperiunt, modo

(1) S. R. C. 31 Aug. 1680, *Squillacen.* 2 et 3; 11 Dec. 1734, *Callien.*; 27 Aug. 1822, *dec. gen.* 18.

(2) S. R. C. 20 Jun. 1648, *Nucerina*; 2 Jul. 1661, *Fanen.*; 2 Sept. 1679, *Nullius*; 31 Aug. 1680, *Squillacen.* 2.

(3) S. R. C. 10 Jan. 1693, *Nicten.* 3 et 4; 20 Ap. 1822, *Baren.* 2.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1680, *Squillacen.* 1; 14 Jun. 1845, *Oppiden.* 4; 24 Mart. 1860, *Algaren.* 2.

(5) S. R. C. 15 Sept. 1753, *Casalen.* 11.

(6) S. R. C. 20 Jun. 1648, *Nucerina* 2; 20 Ap. 1663, *Senogallien.*; 11 Nov. 1665 et 21 Ap. 1668, *Fanen.*

(7) S. R. C. 31 Aug. 1680, *Squillacen.* 4.

(8) S. R. C. 2 Jul. 1661, *Fanen.*; 10 Sept. 1701, *Cortonen.* I.

(9) S. R. C. 31 Aug. 1839, *Cattaren.*; 14 Jun. 1845, *Oppiden.* 5 et 6; 23 Maji 1846, *Bahien.* 4.

(10) De Conny, liv. 1, ch. 8.

(11) S. R. C. 21 Mart. 1676, *Asculana*; 20 Ap. 1822, *Baren.* 2; 31 Aug. 1839, *Cattaren.*

(12) S. R. C. 22 Sept. 1837, *Muniten.* IX, 2.

ss. Sacramentum aut reliquia s. Crucis non deferatur (1). Extra ecclesiam « in processionibus, in quibus deferitur ss. Christi Corpus, vel ss. Crucis lignum, tam clerus quam sæculares detecto » capite incedere debent. In aliis vero processionibus, in quibus » deferuntur reliquiæ vel statuæ sanctorum, tunc sæculares et » ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero clerici » possunt incedere tecto capite cum bireto » (2). Cæremoniarius et clerici qui processionem dirigunt, biretum etiam extra ecclesiam imponere nequeunt (3); item thuriferarius, acolythi atque deferentes crucem aut vexillum detecto semper capite incedunt (4).

6. His præmissis, circa usum bireti generaliter dicendum est, videlicet: clerici et canonici, per ecclesiam incedentes, ad altare vel ad chorum accedentes, vel ab his discedentes, caput bireto cooperiunt, si sacris paramentis vel saltem stola sint parati; numquam autem, si tantum habitu choralis et non sacris paramentis, neque saltem stola sint induti.

In choro sedentes infra officium et missam, non exposito ss. Sacramento, biretum imponere possunt, nisi adsit consuetudo caput non cooperiendi, quæ ab iis qui sacris paramentis non sunt induti, servari potest (5); si autem detur consuetudo caput cooperiendi, omnes propter uniformitatem biretum imponere debent, illud deponendo ad inclinationes faciendas. Cum est sedendum, prius sedetur, et tunc biretum imponitur; et cum est surgendum, prius biretum deponitur, antequam surgatur. Quum biretum non sit chorale indumentum, ut a S. R. C. declaratur (6), non est opus, ut præ manibus teneatur, dum statur, oratio aut capitulum cantatur, fit incensatio, etc., sed deponi potest, non quidem super legile, sed in locum inferiorem aut alium opportunum.

Not. Biretum, quod gestant clerici Germani, Galli, Hispani (et Belgæ) quatuor cornua seu angulos in modum crucis habet. Soli Itali bireto utuntur tribus tantum angulis elevatis ornato, in quo tamen crucis figura retinetur, atque id ad honorem ss. Trinitatis

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, n. 1; S. R. C. 2 Ap. 1667, *Castellaneten.*; 17 Jun. 1673, *Majoricen.* 9; 13 Aug. 1695, *Æsina.* 2.

(2) S. R. C. 2 Sept. 1690, *Cajetana* 1.

(3) S. R. C. 22 Sept. 1837, *Mutinen.* IX, 1.

(4) S. R. C. 10 Jun. 1690, *Tranen.*

(5) S. R. C. 16 Mart. 1861, *Sancti Jacobi de Chile* XI.

(6) 7 Dec. 1844, *Venusin.*

factum fuisse, aliquorum opinio est (1). Biretum tamen cum quatuor apicibus juxta usum Romanum proprie est doctorale, quali clerici in ecclesiasticis functionibus uti nequeunt (2).

7. Pileolus parvus in ecclesia et in ipsis sacris functionibus servatis servandis, ut supra dictum est, ex universali consuetudine, decretis postmodum firmata, permissus est (3). In pluribus etiam decretis canonicis permissus supponitur (4). etiamsi sint parati, modo Episcopo non assistant et ministrent (5); quinimo etiam beneficiatis aliisque qui canonicis sunt inferiores, licitus declaratur (6). Tam canonici tamen quam beneficiati, capellani aliive eum deponere debent, quando in medium chori prodeunt ad canendum (7). Ministris autem paratis usus quidem bireti, non vero pileoli permittitur (8); item clericis seminarii in choro pileolo uti non licet, si ea sit consuetudo (9).

CAPUT VIII.

DE DIGNITATIBUS.

§ 1. De dignitatibus in genere.

I. Dignitates necessario non requiruntur ad capitulum, quod per se subsistit, seniore canonico officium exercente, quod alias dignitatibus proprium dicitur. Capitulum tamen dignitatibus extollitur et honoratur. Unde in capitulis ubique communiter etiam reperiuntur.

II. Dignitates, personatus et officium sæpe promiscue accipiuntur; stricte tamen loquendo, inter se differunt.

Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine honoris prærogativa et sine jurisdictione. Officium habere dicuntur custos, thesaurarius, etc.

(1) Ita Carli in bibliotheca lit. *biretum* n. 3; Bened. XIV de sac. m. sect. 1, § 53; Macri vocabulo *Camelaucium*; Fornici p. 1, c. 10.

(2) S. R. C. 7 Dec. 1844, *Venusin.*

(3) S. R. C. 22 Sept. 1837, *Mutinen.* IX; Carli *biretum alterum*.

(4) S. R. C. 20 Ap. 1822, *Baren.* 2.

(5) S. R. C. 24 Mart. 1860, *Algaren.* 3.

(6) S. R. C. 3 Oct. 1699, *Zaren.* 3.

(7) S. R. C. 18 Dec. 1660, *Januen.* 8.

(8) S. R. C. 25 Sept. 1852, *Patriarchatis Bas. Lat.* 4.

(9) S. R. C. 15 Sept. 1753, *Casalen.* 12.

Personatus est honoris prærogativa sine jurisdictione. Qui personatum habent, ratione hujus prærogativæ alios præcedunt in choro, processionibus et similibus.

Dignitas est honoris prærogativa cum jurisdictione in foro externo.

Dignitates non uno eodemque nomine sed singulæ suo proprio vocantur: nuncupari solent Archidiaconus, archipresbyter, præpositus, decanus, abbas, prior, primicerius, cantor, scholasticus, capellanus magnus, custos, sacrista, etc. Ex his de jure communi archidiaconus et archipresbyter tantum dicuntur dignitates (1).

Non idem est in omnibus cathedralibus dignitatum numerus et ratio. Quæ autem et quot in hac vel illa ecclesia sint dignitates, dignoscitur ex institutione et fundatione ecclesiæ, ex auctoritate ordinarii, ex voluntate testatoris a legitima potestate confirmata, et etiam ex consuetudine (2). Ex iisdem etiam cognoscitur, quis sit ordo dignitatum. Alibi archidiaconus dicitur prima dignitas, et alibi secunda; in aliis ecclesiis prima dignitas est archipresbyter, et in aliis decanus. Totum in his rebus efficit vel institutio vel usus et consuetudo ecclesiarum.

III. Dignitas, ut jam dictum est, est præeminentia cum jurisdictione. Talis olim dignitas erat v. g. archidiaconatus. Nunc autem canonicis hæc quidem honoris nomina relicta sunt; nullum autem ex consuetudine communiter retinent pristinæ potestatis et jurisdictionis vestigium; ita ut nomina sint inania et dignitates ventosæ vocari soleant. Hinc tamen concludi nequit, hoc tempore veras dignitates non esse eas, quæ hoc nomine in cathedralibus insigniuntur, quia ex praxi tanquam veræ dignitates habentur, tum eæ quæ olim jurisdictionem annexam habuere, tum aliæ quæ ex statuto vel consuetudine ut tales admittuntur, quamvis omni nunc administratione et jurisdictione careant (3).

IV. « Quum dignitates, in ecclesiis præsertim cathedralibus, ad » conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint » institutæ; ut, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque » exemplo essent, atque Episcopus opera et officio juvarent;

(1) Barbosa de Canonicis cap. IV, n. 5; Scarfantonus lib. 2, tit. XIII, animadv. 1; Zamboni tom. 4 *dignitas ecclesiast. in genere*.

(2) Barbosa de Canonicis cap. IV, n. 6, et seq. Zamboni loco cit.

(3) Lucius Ferr. *beneficium* art. 1, n. 26; Krimer in lib. III Decretal. n. 148; Bouix de capitulo p. 1, sect. 2, cap. V, § 1.